

que libri, quibus vulgata lectio nititur, enumerentur, ad singulum quodque Aeschyli vocabulum libri omnes et manu scripti et typis exarati enumerandi sunt. Illam contra rationem mihi tenendam esse putavi, ut, in qua lectione et codices et editiones omnes consenserint, de ea nihil monerem, sicubi autem diversitas aliqua esset lectionis, eorum tantum librorum lectionem afferrem, qui a vulgata recedunt, ex quo sperabam fore ut facile quisque intelligeret, reliquos libros omnes, de quibus nihil monuissem, in vulgata consentire; eandemque rationem et ab omnibus omnium scriptorum editoribus observatam vidi, neque Reisigium ipsum aliter facturum fuisse mihi persuasum est. Eodem redit, quod miratur, me, quum ad primos Promethei versus codicis Reg. O. lectiones enotaverim, non ipsas codicis lectiones, sed varias lectiones ad marginem libri notatas attulisse, quod recte feci, illae enim non differunt a vulgata, neque Faehsius ipse eas attulisset, nisi propter variam lectionem adscribere debuisset. Ejusdem generis complura sunt, quae singula recensere nolo, quum jam longior fuerim quam operae pretium est. Mox ad v. 54. glossam in margine Colb. 2. scriptam a me omitti queritur, sed non meum erat colligere scholia, nisi si